

DE NUMERATIONE

Ab uno igitur millione ad plures ceteri numeri inchoant ad hunc modum.

Mille millia, vel millies mille, vel millium mille: vel decies centena millia, vel unus millio. *ἑκατοντάκις μύρια.* Vicies centena millia, duo milliones, *διακοσιάκις μύρια.* Tricies centena millia, tres milliones, *τριακοσιάκις μύρια.* Et sic deinceps ad decem milliones: à quibus ulterius sic progredimur.

Decies millena millia, uel centies centena millia, vel decē milliones, *χιλιάκις μύρια.* Vicies millena millia, vel ducenties millena millia, vel uiginti milliones, *διχιλιάκις μύρια.* Tricies millena millia, vel trecenties centena millia, vel triginta milliones, *τριχιλιάκις μύρια.* Et sic deinceps usq; ad milliones centurijs crescentes: à quibus numerationem sic inchoamus.

Centies millena millia, vel millies centena millia, vel centum milliones, *μυριάκις μύρια.* Ducenties millena millia, vel bis millies centena millia, vel ducenti milliones, *δισμυριάκις μύρια.* Trecenties millena millia, vel ter millies centena millia, vel trecenti milliones, *τρισμυριάκις μύρια.* Et sic deinceps milliones centurijs,
& mille.